



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Concl. XV. Ab Ordine & Matrimonio publicè repellitur, cujus impedimentum occultum potest probari. Ordinariè tamen licet Matrimonium cum peccatore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

transfere, quantum est in se; sed scit se non transfere, quia scit hac non ratiificari a superiore. Prosequitur: Et si dicas, ergo ad hoc quod non mentiatur, oportet dicere: Accipio te in meam, si Dominus permiserit. Respondeo: ista conditio semper intelligitur, quantumcumque sit absoluta locutio, & isto modo debet intelligi absolute verbum eius: Accipio te in meam, supple, quantum in me est, praesupposita violentia ista: & si Deus ratiificaret per talem consensum, qualem nunc habeo, traditionem corporis mei fieri, traderem tibi meum, & in tantum trado, quantum tradi potest per talem consensum.

234.  
An possit confessarius in aliquo casu proferre verba absolutionis sine intentione.

Ex his satis liquet distinctio inter Sacramentum Matrimonij, & alia Sacramenta, quorum irritatio pendet à sola voluntate, seu intentione ministri. Matrimonio adiungunt aliqui Pœnitentiam; supposita quippe voluntaria indispositione poenitentis, non est in libertate ministri conficere verum Sacramentum: vel ergo mori debet (ut supponitur in casu) quod durissimum apparet, vel potest proferre verba sine intentione.

Parum autem refert, quod poenitens putet se absolutum; quia ethi absolueretur cum vera intentione, non esset absolutus. Et aliunde si dimitatur sine ulla Absolutione, periculum est, quod equidem postea non confitebitur, ac proinde non evitatur illud incommodum. Præterea talis poenitens vel scit suam Absolutionem non valere, & nullum sequitur inconveniens; vel bona fide existimat valere, & postmodum confitendo cum legitima dispositione, ab illis peccatis indirectè absolvitur.

Cum ergo verba formæ Absolutionis sæpius sine intentione absolvendi liceat proferre, ut patet in Absolutione generali extra Sacramentum; immò in iplo Sacramento, sub conditione: Si poenitens est dispositus; cur non etiam (saltem absque gravi sacrilegio) ad mortem evitandam, tamen est exterius aliquibus appareat verum confici Sacramentum? Hæc illi. Bene, an malè, judicent viri doctiores.

Atque ut in confectioe Sacramenti omnis fictio esset graviter prohibita, non propterea sequitur illam sic esse prohibitam in casu Conclusionis, in quo non conficitur Sacramentum, sed scienti & volenti in Dominici corporis reverentiam confertur hostia non consecrata pro consecrata. Quæ omnia manifestè declarant, quàm difficile sit, supposito quod non interveniat idololatria, convincere grave sacrilegium in tali simulatione.

235.  
Dicastillo

Hinc Dicastillo post diffusam impugna-

tionem sententiæ Lugonis, tandem aliquando coactus illi adheret, solum distentiens in voce idololatriæ, nolens illas actiones externi cultus vocare propriam idololatriam. Sed parum curandum de nomine, quando constat de re, quæ juxta magis communem sententiam & judicium prudentum valde dissonat rationi; tutissimum autem est in hoc & similibus casibus sequi communem sensum fidelium, quamvis fortè evidens & convincens ratio nos lateat.

Sic ordinariè docetur, aliqua peccata facta in Ecclesia, puta tactus impudicos & similia, contrahere malitiam gravis irreverentiæ; quia populus graviter illis offenditur & scandalizatur: licet enim malitia scandali videatur diversæ & per accidens, tamen indicat propriam malitiam, quando sub illa movet actus ad scandalum. Profectò gravitas vel levitas materiæ non solum desumenda est ex lege positiva, sed etiam sæpe ex prudenti ratione, judicante per legem naturalem. Perro prudens ratio gravem judicat irreverentiam in administratione hostiæ non consecrata loco consecrata, undecumque illa gravitas proveniat. Hæc est communis sententia, à qua judico in praxi non facilè recedendum.

Quæro autem ulterius: Ab Ordine & Matrimonio publicè repelli potest indignus? Respondeo:

CONCLUSIO XV.

Ab Ordine & Matrimonio publicè repellitur, cujus impedimentum occultum potest probari. Ordinariè tamen licet Matrimonium cum peccatore.

PER impedimentum intelligo tam irritans, quàm solum impediens. Atque in primis quod attinet ad Sacramentum Ordinis, Prælati Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate promovendorum seu ordinandorum; quippe collatio Ordinis aut beneficiorum non est merus actus pascendi, quemadmodum alia Sacramenta; sed est actio juridica, vel saltem Gubernatoris & Principis, ad quem spectat eligere ministros idoneos. Sibi ergo impudent si rejiciantur cum infamia, cum ingerant se contra publicam utilitatem in ea munia & officia, ad quæ non sunt idonei, sive ex jure naturali, sive etiam ex solo jure

236.  
Prælati Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate ordinandorum.

jure positivo : præsertim cum ordinandi per se nullum habeant jus obligans Episcopum ad Ordines ipsi conferendos.

Ordinandi interrogati tenentur impedimentum detegere, etiam cum propria infamia.

Unde, quod plus est, interrogati tenentur impedimentum detegere, etiam cum propria infamia c. Nisi cum pridem 10. de Renunt. ibi: Licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subtrahere. Et cap. Innotuit 20. de Elect. ibi: Qui suum malum confiteri reatum, quam læsa conscientia thronum ascendere pastoralem. Clarissimè c. Ex penitentibus 55. dist. 50. ibi: Deponatur à clero, quia se ordinationis tempore non produxit. Ad quæ videtur attendisse Lucius Papa relatus in c. Ad aures 5. de Temp. ordinat. ubi dicit, Episcopum debere non ordinare Religiosos Prælato contradicente; & reddit rationem: Quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeunt sublimari.

237. Quid fieri debet, si ordinandus jus habeat ad ordines ratione beneficii aut dignitatis, quam possidet.

Petes, quid si ordinandus jus habeat ad Ordines ratione beneficii, aut dignitatis quam possidet? Respondet Lugo debere ordinari, si impedimentum occultum non potest probari. Ubi insinuat eum, qui non præterit jus, repelli posse, etsi crimen occultum nequeat probari. Quod ego intelligendum puto non de quolibet peccato mortali, sed de tali crimine, quod vel irritat Ordinationem aut impedit ex jure humano, aut certè notabiliter reddit hominem indoneum ad Ordinis functionem.

Alia III.

Probat autem Cardin. suam resolutionem ex c. Ex tenore 4. de Temp. ordinat. ubi Alexand. III. de Clerico, qui adeò deliquerat, quod si peccatum eius esset publicum, degradaretur ab Ordine quem suscepit, & amplius non posset ad superiores Ordines promoveri; de tali (inquam) Clerico decernit in hæc verba: Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debet aliquà ratione prohibere.

Glossa ibid.

Glossa verbo Prohibere tres adhibet conciliationes hujus textus cum sequenti capite: Ad aures, supra citato. Hic loquitur (inquit) de seculari, ibi de regulari, qui non habet propriam voluntatem. Vel illud propter scandalum Prælatorum; hic nullum scandalum. Vel melius istud, cum quis petens Ordines, habet ius petendi ratione tituli, quem habet, vel dignitatis; illud, cum ius petendi non habet, & ideo Prælati sui potest eum repellere. Quæ nullatenus contrariantur nostræ conclusioni ( ut patet ) nam solum asserit occultum criminofum posse repelli cum infamia, quando crimen potest proba-

ri, de quo non loquitur textus citatus.

An autem possit repelli, quando crimen ita occultum est, ut nequeat legitime probari, constat tamen certò Episcopo ordinanti, satis colligitur ex jam dictis. Sanè si nullum habeat jus, & admonitus secundum ordinem fraternæ correctionis ut desistat à petitione, nihilominus publicè se ingerat, & præsertim cum cæteris ordinandis, judico posse & debere repelli tanquam ab Episcopo non admissum, licet aliqui inde suspicentur occultum aliquod delictum. Sin autem jus habeat Ordinationis, juxta c. Ex tenore citatum, non debet aliquà ratione prohiberi.

238. Quid faciendum si crimen ita occultum sit, ut nequeat legitime probari; constat autem Episcopo ordinanti.

Pro Matrimonio, Suppono Parochum sine gravi peccato irreverentiæ posse assistere Matrimonio eorum, qui in malo statu contrahant; idque quia non ministrat Sacramentum, sed tantum requiritur tanquam testis & notarius publicus. Quod Præpositus 3. parte quæst. 7. de impedimentis Matrimonij & plures cum ipso dicunt esse verum, etiam si peccatum foret publicum. Intellige quando peccatum non est simul impedimentum dirimens vel impediens. Nam impedimenta quantumvis occulta tenetur Parochus denunciare Episcopo, & Episcopus fortassis Nuntio, si alio modo non possunt Matrimonium impedire, & illo modo sperant impediendum; de quo plura proprio loco.

239. Parochus sine gravi peccato irreverentiæ potest assistere Matrimonio in malo statu contrahentium.

Quod Præpositus & alij intelligunt etiam de peccato publico.

Hic sufficiat pro veritate conclusionis, non minorem habere Parochum obligationem inquirendi impedimenta Matrimonij, atque Episcopus impedimenta Ordinis, præsertim irritantia; tum propter damnum tertij, quod natum est sequi ex Matrimonio invalido; tum propter continua peccata fornicationis, saltem materialia. Similiter ex Ordinatione invalida innumera sequuntur sacrilegia, & damna irreparabilia in administratione aliorum Sacramentorum Eucharistiæ, Pœnitentiæ &c. quæ ad valorem suum exigunt Ordinem Sacerdotij.

Non minus obligatur Parochus inquirere impedimenta Matrimonij, quam Episcopus impedimenta Ordinis.

240.

Propterea jure meritissimo Ecclesia exigit exactissimam inquisitionem impedimentorum, præcipuè quidem irritantium; minus tamen principaliter etiam impediendum. Cum enim ( ut dictum est ) Parochus assistat Matrimonio tanquam testis & notarius publicus, ipsius muneris est inquirere, an contractus, cui assistit, sit legitimus, & an habeat condiciones à jure requisitas ad licitum sive ad validum, eodem modo, quo

C c notarius

notarius publicus in alijs contractibus civilibus; ceteroquin quomodo testari poterit Matrimonium secundum leges esse initum?

Hinc quemadmodum Judicis aut notarii publici non est in alijs contractibus civilibus inquirere; an contrahentes peccent vel non peccent contrahendo propter malam intentionem, excommunicationem vel similem causam, sed an omnia observentur, quæ in tali contractu observanda à jure præscribuntur; ita etiam impræsentiarum Parocho non incumbit ex officio investigare, an conjuges peccent vel non peccent ineundo Matrimonium, quia sunt in malo statu vel propter excommunicationem, aut similem aliquam causam; sed an omnia adsint, quæ specialiter ad hunc contractum jure humano vel divino requiruntur.

241.

Et sicut Judex civilis potest repellere à contractu merè politico, præmissa monitione, qui publicè accedunt non servatis conditionibus jure requisitis; pari ratione Parochus potest & debet repellere, fraternam correptione præviâ, qui publicè accedunt ad contrahendum Matrimonium cum impedimento irritante aut prohibente; secus qui in excommunicatione, aut aliâ in peccato mortali: hæc quippe non sunt specialia impedimenta Matrimonij in quantum contractus est, sed generaliter prohibent susceptionem omnium Sacramentorum eorumque administrationem, quando publica sunt.

Porro Parochus præsens Matrimonio neque suscipit, neque ministrat Sacramentum; sed Ecclesia requirit ejus præsentiam solummodò ut testari possit verè contractum initum esse juxta leges jure divino ac humano constitutas, propter gravia peccata, quæ (ut loquitur Tridentinum sessione 24. de reformatione Matrimonij cap. 1.) ex clandestinis Conjugijs ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priorè uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt; & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Quis autem jure dixerit Concilia vel Tridentinum quod irritavit, vel Lateranense quod prohibuit Matrimonia clandestina, attendisse ad peccatum, quod præcisè committitur propter indispositionem contrahentium ad effectum gratiæ?

242.

Certè denuntiationes, quas Concil. Trident. inherendo vestigijs Concilij Lateranensis sub Innocent. III. celebrati, præcipit fieri antequàm Matrimonium con-

trahatur, non concernunt peccata quælibet occulta eorum, inter quos Matrimonium est celebrandum; sed impedimenta dumtaxat irritantia vel impedientia, ut suo loco patebit, nullo, quod sciam, contradicente; imò ipso Concilio apertè comprobante, dum dicit supra: *Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesie procedatur.*

Propter impedimenta igitur, & non propter censuras, aut alia quæcumque peccata, specialiter Parocho incumbit arcere à Sacramento Matrimonij volentes contrahere, etiam cum eorum infamia, ubi aliter fieri nequit. Idem videre est in professione Religiosa; præmittunt quippe Superiores exactissimam inquisitionem conditionum requisitarum ex jure communi, vel particularibus statutis ad validam & licitam professionem, cum potestate & voluntate dimittendi novitium, etiam cum infamia, ubi opus fuerit.

Petes, an saltem Parochus non peccet cooperando peccato contrahentium in malo statu, quod sine ejus assistentia non committerent, præsertim quando peccatum est publicum, adeoque sine infamia possit negare suam præsentiam? Respondet Card. Lugo disp. 8. n. 219. eam cooperationem esse valde materialem & inculpabilem Parocho, qui non potest negare suam assistentiam, quam debet ut minister publicus: sicut nec publicus notarius vel judex potest negare auctoritatem sui muneris contractui alicui legitimo, licet contrahens ex intentione prava peccet in ipso contractu.

Rectè quidem; sed aliud simile, quod adjungit, non placet: Et sicut (inquit) uxor non peccat reddendo debitum conjugale viro petenti contra votum castitatis, quod habet. At quanta dissimilitudo! quippe conjuges, si volunt, contrahunt absque peccato; petitio copulæ & ipsa copula subsequens ex illa petitione contra votum castitatis, necessariò est peccaminosa; adeoque quamquam mulier peccaret reddendo (ut multi verosimiliùs judicant, quia cooperatur ad actum externum, qui hic & nunc nequit fieri absque peccato) adhuc tamen Parochus satisfaciens muneris suo, non est reus indignæ ministrationis aut susceptionis Sacramenti; quia tota hujus malitia pender à voluntate contrahentium, qui debet se disponendo licet ministrant & suscipiunt Sacramentum: in potestate autem viri petentis non est justicare copulam, sed in potestate solius mulieris

244.  
An peccet  
Parochus  
cooperans  
peccato  
contrahentium  
in malo  
statu.  
Lugo.

cooperantis. Ex quo etiam patet disparitas inter virum petentem copulam ex prava intentione, & petentem contra votum castitatis.

244.  
Non est in parochia assistente alia obligatio, quam virtutis Chastitatis.

Ut ut sit de hac controversia, quæ est alterius loci, si vera est ultima pars conclusionis, quæ restat probanda, non agnoscimus aliam obligationem in Parochia, quam communem virtutis charitatis, impediendi videlicet peccatum proximi quantum commodè potest, dissuadendo quod malum est, & hortando ad id, quod bonum est. Equidem alijs persistentibus in affectu malo, quem possent corrigere si vellent, tenetur assistere.

Ordinariè licitum est contrahere Matrimonium cum peccatore.

Ita habet praxis communis; quæ utique declarat non solum Pastori licitum esse assistere Matrimonio peccatoris, verum etiam ordinariè nullum esse peccatum contrahere cum peccatore, ut habet ultima pars conclusionis; maxime in his partibus, ubi permittitur ab Ecclesia Matrimonium Catholici cum hæretica. Saepè etiam Pontifices dispensarunt, ut Catholici cum hæretica possent contrahere; non potest autem dispensare in re intrinsecè mala, siue non potest esse causa actionis intrinsecè mala, quæ aliàs non fieret.

245.  
Obiectio.

Si dicas, ministrare Sacramentum indigno non ita esse intrinsecè malum, quin ex rationabili causa fiat licitum, ut ex iam dictis satis constat; in illis autem dispensationibus adfuisse justam causam. Respondens, causam dispensandi in lege Ecclesiastica non esse semper causam rationabilem ministrandi Sacramentum indigno. Patet: si Pontifex dispense in impedimento consanguinitatis, quis propterea dicat consanguineos posse contrahere in malo statu? Et tamen ex rationabili causa id licet, & supponitur rationabilis causa dispensationis.

Concil. Chalcedon.

Quando ergo Pontifices dispensarunt, vel generaliter, ut in Concilio Chalcedonensi act. 15. can. 14. ibi: *Nisi forte sponderit se venire ad orthodoxam fidem d. m. coniungitur persone orthodoxa.* Et c. 16. 28.

Concil. Agathens.

q. 1. quod desumptum est ex Concilio Agathensi c. 67. *Non oportet (inquit) cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos;* vel specialiter, ut fecit Clemens VIII.

Clemens VIII.

anno 1604. cum Catharina sorore Henrici IV. hæretica & duce Barensi Catholico; non fuit intentionis ipsorum declarare, causas allegatas per se excludere indignam administrationem vel receptionem Sacramenti (nam certum est apud omnes, hæ-

reticum vel malum Catholicum peccare recipiendo Sacramentum) sed supposuerunt Pontifices, sublatà per legitimam dispensationem lege Ecclesiastica prohibente huiusmodi connubia, ordinariè esse licitum Sacramentum Matrimonij indigno ministrare.

246.

Cardo ergo difficultatis in hoc vertitur, quòd non appareat ratio sufficiens disparitatis inter Sacramentum Matrimonij & alia, quæ diximus ordinariè non posse indignis administrari. Hæc igitur ratio queritur, & non invenio meliorem, quam communem sensum totius Ecclesiæ, quam nunquam movit scrupulum fidelibus, qui contrahunt Matrimonium cum Catholicis existentibus in peccato mortali; sed unquamque tenetur se ipsum in gratia constituere, compertem verò relinquit suæ conscientiæ.

Ratio, cui fidelis contrahens cum alio existente in mortali non peccat.

Nec mirum, cum in pluribus alijs (ut alibi diximus, & magis patebit in proprio tractatu) non liceat argumentari à Sacramento Matrimonij ad alia Sacramenta, quòd Matrimonium non tantum sit Sacramentum, sed etiam contractus (non ita spectans publicam utilitatem, quam bene privatam contrahentium) in quo idem est petere seu accipere ab aliquo, ac eidem ministrare, quæ non habent locum in alijs Sacramentis, in quibus minister ordinarius est Parochus, cui ex munere proprio competit eorum distributio quasi personæ publicæ & attendenti ad bonum publicum; atque ideo ad eum ex officio pertinet cognoscere merita vel demerita illorum, quibus bona communia distribuit, ut satisfaciat debito fidelis dispensatoris. Et quamvis in casu necessitatis laicus possit baptizare, tunc tamen sustinet vices personæ publicæ.

Disparitas inter matrimonium quoad hoc, & alia Sacramenta.

At verò in Sacramento Matrimonij minister non est Pastor, nec homo publicus, aut distributor bonorum communium, qui tamquam Oeconomus ex munere suo & debito fidelis dispensatoris debeat attendere & examinare merita suscipientium, sed est persona privata celebrans contractum, adeoque ex officio suo solum attendit ad utilitatem & commodum proprium: sicut in republica alia est obligatio Oeconomi distribuentis res communes, & alia particularis personæ vendentis res proprias.

247.

Quia igitur contractus Matrimonij ordinatur ad utilitatem privatam & externam contrahentis, non est tanta obligatio attendendi ad reverentiam Sacramenti; vel (ut melius loquar) non

est tanta irreverentia Sacramenti Matrimonij si indigno ministraretur, cum ordinariè interveniat utilitas temporalis ipsius ministri, quæ non reperitur in administratione aliorum Sacramentorum, ubi sola spectatur utilitas suscipientis. Profectò si licitè peto Sacramentum ab indigno ministro, modò id suadeat notabilis utilitas; cur in Sacramento Matrimonij non liceat propter eandem causam indigno ministrare? Nam petere & ministrare quasi idem sunt: proinde non videtur contrahens magis debere sequi conditionem ministrantis, quàm petentis. De cætero attendamus, inspicimus, perscrutemur quod possumus, nè infideles (quod absit) ministri & dispensatores mysteriorum Dei inveniamur.

248.  
An sit fidelis minister, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore.

Et verò (interrogat quispiam) nūquid fidelis minister est, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore? Constantè & unanimiter asserunt DD. haud licitum esse ministrare Sacramentum cum dubio negativò (quando scilicet non est fundamentum ad assensum præbendum alicui parti) nisi in necessitate sub conditione; quippe Sacramenti institutio ad minus videtur exigere probabile iudicium, nè continuò exponatur periculo nullitatis contra reverentiam ipsi debitam.

Confirmatur: quia præceptum naturale non fornicandi requirit iudicium, saltem probabile, quòd hæc persona sit sua; ergo similiter præceptum baptizandi cum aqua naturali, quòd hæc sit aqua naturalis.

249.

Interim tamen quemadmodum dubius de valore Matrimonij potest reddere debitum, quamdiu petens procedit bonâ fide, quia præponderat aliud inconveniens, scilicet periculum privandi alterum possessione suâ absque sufficienti probatione; vel (clariùs loquendo) quia negando debitum exponit se periculo injustitiæ, reddendo autem periculo solius fornicationis; ex duobus porro malis, ubi alterum est necessarium, minus est eligendum; ergo eligenda fornicatio, quæ minus est peccatum, quàm injustitia: ita dico in extrema necessitate sine irreverentia utimur materiâ aut formâ dubiâ, quando certior haberi nequit; quia prævalet præceptum charitatis, & abstergit omnem irreverentiam, quæ aliàs in tali ministerio committeretur. Enimverò cum Sacramenta instituta sint pro salute animarum, & aliqua saltem spes effulgeat eam procurandi animæ alioquin in æternum certò peritura; potius reverenter quàm irreverenter tractat Sacra-

mentum, qui ita illud administrat, maxime sub conditione; quippe illa non subsistente altera pars essentialis necessariò deficit, per consequens intentio Sacramenti. Sicuti ergo nulla est irreverentia contrahere Matrimonium ex iusta causa cum impedimento dirimente absque intentione Sacramenti, quia verba contrahentium non sunt materia aut forma validi contractus; sic nec erit irreverentia in necessitate extrema baptizare cum liquore, de quo dubitatur an sit aqua naturalis, sub conditione veræ materiæ; quia si reverà non est aqua naturalis, quod non pender à voluntate baptizantis, non hic, sed potius Deus, qui instituit aquam naturalem pro materia essentiali, irritat Sacramentum.

Sed cum hæc satis consent, tamen dissentio inter DD. Catholicos est, an minister relicta materiâ aut formâ certâ, possit adhibere solùm probabilem. Major pars amplectitur sententiam negativam, pro qua placuit sequentem conclusionem instituire.

## CONCLUSIO XVI.

Minister non potest adhibere materiam aut formam Sacramenti solùm probabilem, quando commodè potest adhibere certam.

Secundùm aliquos Auctores si alibi, <sup>250.</sup> <sup>Sententia</sup> <sup>Valquez &</sup> <sup>aliorum</sup> etiam hic licet sequi opinionem probabilem de valore materiæ aut formæ, si legem justitiæ, charitatis aut Ecclesiasticam secludas. Quidni (inquiunt) esset licitum prudenter agere? Agit autem prudenter, qui sequitur opinionem probabilem. Sanè omnimoda in rebus humanis certitudo habere nequit, adeoque ad eam Deus non obligavit, sed ad moralem tantum, ne alioquin vix liceat operari, cum res practicæ difficillimè cognoscantur, & varijs opinionibus subjectæ sint.

Hercule si semper homo deberet sequi partem tutiorem, hoc est, in qua minus est periculum peccati, sive in qua nec materialiter potest esse peccatum, foret onus intolerabile, ut nemo ignorat qui novit diversitatem sententiarum circa licitum & illicitum in actibus humanis. Quin sæpe quod est magis tutum, est minus probabile, id est, infirmioribus nititur fundamentis, puta, quòd diebus festis teneamur conteri. <sup>Si</sup>